



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quod Spir. S. procedit à patre & filio, quem tamen Græci à filio procedere
diffitentur. A. B. C

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

QUOD SPIRITVS SANCTVS PROCE-
dit à Patre & Filio.

DISTINCT. XI.

Ex Aug. t. 26
lib. 15 de
Trin. 5.
Gal. 4.
Rom. 8 b.
Ad Ro. 8. b.

Matth. 10. c.

Ioan. 14. d.

Ioan. 15. d.

HIC dicendum est spiritū sanctum à patre esse
& filio, & procedere à patre & filio: quod
multi hæretici negauerunt. Quod autem de vtro-
que procedat, multis diuinorum eloquiorum te-
stimoniiis comprobatur. Dicit enim apostolus
Misit Deus Spiritum filii sui in corda nostra. Ecce
hic dicitur spiritus filii. Et alibi, Qui autem spi-
ritum Christi non habet, hic non est eius. Ipse
etiam filius de spiritu Sancto. dicit in euang-
gelio: quem ego mittam vobis à patre. Pa-
tris autem spiritus dictus est, vbi legitur. Si spiri-
tus eius, qui suscitauit Christum à mortuis habi-
tat in vobis. Et ipse Christus dicit, Non enim vos
estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui lo-
loquitur. Et in alio loco. Quē mittet pater in no-
mine meo. Et alibi ipse filius de sp. sancto ait, De
patre procedit. His & aliis auctoritatibus pluribus
ostēditurq; Spiritus sanctus à patre & filio procedit.

Quod Græci non concedunt Spiritum sanctum pro-
cedere à filio.

Quare di-
catur.
Prima cau-
sa.

Ioan. 15. d.
Secunda.
causa.

GRÆCI tamen dicunt Spiritum sanctum pro-
cedere tantum à patre & non à filio. Quod ideo di-
cunt, quia veritas in Euangelio fidem integram
cōtinente, de processione spiritus loquens solū pa-
trem commemorat dicens, Spiritus qui à patre
procedit. Et etiam ideo, quia in principalibus cō-
ciliis, quę apud eos celebrata sūt, ita symbola eo-
rū subiunctis anathematibus sancita sunt, vt nul-
li de Trin. fide aliud docere vel aliter prædicare
quā ibi continetur liceat. In quibus quidē symbolis
cum Sp. s. cōmemoretur procedere à patre, & nō à
filio, Quicūq; inquit à filio eū procedere addūt,
anathema incurrunt: vnde & nos arguūt anathe-
matis

matis reos. Addunt etiã ad assertionẽ suę opinio-
 nis, & in testimoniũ nostrę damnationis, de sym-
 bolo fidei, q̄ secundum traditionẽ prædictorum
 conciliorũ Leo III. Rom. transcriptum in tabula
 argentea post altare B. Pauli posita, posteris reli-
 quit p̄ amore (vt ipse ait) & cautela fidei orthodo-
 xx. In quo quidẽ symbolo, in p̄cessione spirit⁹ sol⁹
 cõmemoratur pater his verbis: Et in spiritũ san-
 ctũ Dominum & viuificatorẽ, ex patre p̄cedentẽ:
 cum patre & filio coadorandũ & glorificandum,
 &c. Illud est symbolum quod in missa cantatur,
 editum in Niceno concilio: in fine cuius subiun-
 ctum est: Qui aliud docuerit, vel aliter prædica-
 uerit, anathema sit. ideoq; Græci nos anathemati-
 zatos dicunt, quia dicimus S. sanctũ à filio proce-
 dere, quod ibi non cõtinetur. Quod enim secun-
 dum nos ibi dicitur: Qui à patre filioq; procedit:
 alterum à Latinis est additum, scilicet filioq;.

*In simbolo
 Cõst. syno-
 di prima.*

Responsio, vbi determinantur prædicta.

Nos autem verba ita determinam⁹: Qui aliud
 docuerit, vel aliter prædicauerit, i. contrariũ do-
 cuerit, vel contrario modo prædicauerit, anathe-
 ma sit. Aliud ergo posuit, p̄ opposito, qualiter & A-
 post. in epist. ad Gal. si quis aliud euangelizauerit,
 i. cõtrarium, anathema sit. Nõ dicit, si quis addide-
 rit. Nã si illud diceret, sibi ipsi, vt ait Aug, præiudi-
 caret, qui cupiebat venire ad quosdã quibus scri-
 bebat, sicut ad Thess. vt suppleret, quæ illorũ fidei
 deerant. Sed qui supplet q̄ minus erat, addit: nõ
 quod inerat, tollit. Qui autẽ prætergreditur fidei
 regulã: non incedit in via, sed recedit à via. Ad il-
 lud autẽ quod de euangelio opponunt, respon-
 demus ita: quia cum dicat in eo veritas Sp. sanctũ
 à patre procedere, non addidit solo, & ideo etiam
 à se, p̄cedere nõ negat: sed ideo patrem tantũ no-
 minat, quia ad eum solet referre etiam quod ipsi⁹
 est, quia ab illo habet.

Galat. 3. 6.

Thessal. 3. 5.

E 2 Quod